

2.

FAVENTE JEHOVAH  
DISPUTATIO PHYSICA  
*De*  
**T E R R A**  
*Quam.*  
*Cum Amplissimæ, in Nova & Regia Academia CHRI-*  
*STI Néâ, quæ Abogia est, Facultatis Philosophicae*  
*consensu ac approbatione, Examini*  
*subjicit publico.*  
**M. SVENO L. FOLKENIUS**  
**NERICIENSIS.**

*Respondente,*  
**J OHANN E L. K L I N G I O**  
*S. R. M. tis Stipend. Nerichiâ-Sveco.*

Ad diem 21. Martij Anni 1646. In Auditorio  
Majori, horis antemeridianis consvetis.

*Psal. 24, 1.*  
Domini est Terra, & plenitudo ejus, orbis terrarum, & uni-  
versi qui habitant in eo.

*Item 2. Paral. 16, 9.*  
Oculi Domini contemplantur universam terram.

A B O Æ,

---

Excudebat Petrus Wald / Acad. Typogr. 1646.

Admodum Reverendo in Christo patri ac Domino,

**DN. JOHANNI MATHE**, S. S. Theologiæ Doctori celeberrimo, in-  
clytæ Diæcœsos Stregensis Episcopo longè dignis-  
fimo, Patrono ac Promotori suo, pià observantia re-  
verentè ac perpetuò colendo.

Nec Non.

**VIRIS REVERENDIS & CLARISS: SA-**  
cri ejusdem Consistorij Assessorib. ac Consistorialib.  
digniss. Fautoribus, Præceptoribus ac Promoto-  
rib. suis ætatem honorandis atq; suspiciendis.

*Disputationem hanc Physicam in grati animi tesse-  
ram, submissi & officose offert & dedicat*

*Johannes L. Klingius Reffond.*

## Prodromus.

**T**RACTATIO de Terra matre omnium ut aspectu pulcherri-  
ma, ita in dagine mentis dignissima: Quid enim pulchrius,  
quid suavius ac utilius esse potest quam Elementi istius aliqua-  
lem habere cognitionem, ex quo quis nascitur, alitur, in quo vi-  
vit, per quod reficitur, & in quod tandem revocatur & recondi-  
tur. Aquæ subeunt in imbræ dicente Plinio lib. 2. c. 63. rige-  
scunt in grandines, tumescunt in fluctus, præcipitantur in tor-  
rentes: Aër densatur nubibus furit procellis. At Terra benigna,  
mitis, indulgens, usq; mortalium semper ancilla, qua cuncta ge-  
nerat, qua sponte fundit, quos odores, saporesq; ! quos succos! quos  
tactus! quos colores! quam bonâ fide creditum fœnus reddit!  
Quæ omnia nostri causa alit. Verum cum priori anno de cor-  
pore naturali cœlesti publicè dissimuimus, haud in conveniens vi-  
detur, si presentis anni curriculo (juxta ordinem creationis Gen.  
1. v. 1.) In principio creavit Deus cælum & terram) materiam  
de Terra sub incudem Disputationis revocaverimus. Impri-  
mis v. Deum fontem omnis sapientie & intelligentie pro felici  
succesu devote sequenti hoc disticho rogamus, quò dignetur co-  
natui nostro ex alto benedicere nobisq; suâ gratiâ adesse;

Altitonans actus, rege consilio optime nostros,

Hocce opus ut laudi serviat omne tuæ.

## THE S I S I.

**V**erè dicitur à Philosophis, quod natura sive es-  
sentia alicujus rei investigetur tam per Defini-  
tionem quam per Divisionem: Definitionem

quod attinet, duplex nobis occurrit perpendenda nomi-  
nis scz. & Rei. Sed cum omnis cognitio sit ex p̄a-  
cognitione nominis, idcirco Onomatologia seu Defi-  
nitio nominalis tria nobis exhibens, utpote Etymolo-  
giam, Homonymiā & Synonymiam, p̄mittitur.

**II.** I. Etymologia sive notatio; vox Terræ  
alijs derivatur à tero quod teratur; alijs v ab inusitato  
vocabulo teretudine seu rotunditate dicitur.

**III.** II. Homonymia matrix illa errorum ē  
voce terræ excutienda venit, cum nihil sit quod magis  
impedit rerum intelligentiam ac equivocatio. Acci-  
pitur Terra vel Theologicè vel Philosophicè.  
Theologicè sumitur 1. Pro contento in terra, ut  
Gen.6. Corrupta est terra coram Deo, &c. 1. Pro eo  
quod ex terra ortum est. Ut Gen.3,19. Terra es & in  
terram reverteris. 3. Pro aeterna beatitudine, quæ  
dicitur terra nova, terra viventium. Esa.66,27. 2.  
Pet.3. Apoc.21. Psal.27. & 126. Philosophicè ac-  
cipitur 1. Vulgariter pro regione aliqua particulari,  
ut Terra Svecica, Fennonica, Germanica, &c. 3. Me-  
taphoricè pro abjecta familia, unde terræ filij oim  
dicebantur, qui ex obscurp. & ignoto genere fuerunt  
prognati. 3. Geographice pro globo aquam simul  
cum terra complectente. 4. Physicè 1. Pro corpore  
fossili, quod de natura minerali participat & à succis  
est distinctum quale est creta, terra sigillata, &c. 2.

Pro

Pro corpore simplici vñ. Elemento terra, à reliquis separato, quæ acceptio hujus est loci propria.

IV. III. Synonymia. Terra alijs nominibus apud Philosophos insignitur. 1. Mater magna, quod germina, planta &c. Ex ea nascatur, quod nos nascentes excipiat, natos alat, denatos novissime ut mater operiat & in gremio suo q: foveat. 2. Vesta quia exterius varijs floribus, herbis, arboribus, frugibus &c. q: vestiatur, vel quia vi sua Stet. juxta Ovid.

Stat vi terra sua, vi stando Vesta vocatur.

3. Bona quod omnia ad victimum, bona ferat. 4. Fauna, quod faveat omnium animantium usui. 5. Omnium Philosophorum consensu vocatur Terra-orbis, ob rotunditatem suam. Unde Imperatoribus & Regibus tanquam insigne præfertur pomum rotundum, ut significetur eos Terræ, quæ rotunda est, dominari.

V. Hæc de Onomatologia dicta sufficiant; Nunc u. properamus ad Pragmatologiam.

VI. Terra est Elementum firmissimum, crassissimum & gravissimum, frigidum atq; siccum, à Deo ex nihilo creatum, inq; medio mundi immobile colloatum; ut sit matrix ac domicilium corporum mixtorum animatorum & inanimatorum. Hæc data Definitio commodissimè in Genus & Differentiam resolvitur.

VII. Generis loco ponitur Elementum. Quod a. Terra sit Elementum hoc Syllogismo probari potest. Cui convenit Definitio ei etiam definitum; at Definitio elementi convenit terra & definitum. Major est Ca-

non Logicus Minor v. sequenti robatur prosyllogismo: Elementum est corpus naturale simplex homogeneum sub cœlo contentum &c. Atq; terra est corpus naturale simplex homogeneum sub cœlo contentum E. est Elementum.. Minor hujus Prosylogismi confirmatur sequentibus rationibus 1. Corpus est Terra, quia constat ex materia & forma. 2. Naturale, quia natura gaudet. 3. Simplex dicitur non quod careat materia & formâ, sed quod non ex alijs speciebus corporis naturalis sit compositum, in quas dissolvatur.

VIII. Altera pars definitionis est Differentia, quæ è causis & affectionibus desumitur. Causæ duplices sunt 1. Externæ, ut efficiens & finis. 2. Internæ, ut materia & forma; de quibus in sequenti sermo erit.

IX. 1. Efficientem causam terræ infallibiliter asserimus esse Deum, à quo omnia creata sunt, attestante scriptura S. Gen. 1,1. In principio creavit Deus cœlum & terram. Psal. 134. v. 3. Benedic tibi Iehova è Tzijone, qui fecit cœlum & terram.. Plura parallela loca ad ferre non ducimus necessarium, cum nemini Christianorum dubium esse possit, quin Deus sit creator Terræ, &c.

X. 2. Altera causa externa occurrit, quæ est finis. Terram ob finem aliquem creatam esse nemini ambiguum esse potest. Finis enim movet efficientem ad agendum, unde si terra causam efficientem habeat

beat, finem quoque habebit; alias frustra ageret causa efficiens, quod nequaquam de Deo dicendum est. Finis a. Terræ duplex constitui potest; ultimus nimirum & subordinatus. Ultimus est ipsius Dei gloria, si enim totum hoc universum, idcirco  $\Sigma$  terra ad gloriam ipsius declarandam tendit. Prop. 16, 4. Universa propter semetipsum operatus est Dominus. Subordinatus finis esse potest vel Generalis seu communis, vel proprius.

XI. 1. Communis est, ut cum cœlo  $\Sigma$  reliquis Elementis universi machinam absolvat ac compleat, sitque materia corporis mixti. 2. Proprius, ut sit subiectum suarum affectionum, ultimoque tandem, ut sit sedes omnium rerum gravium nempe sublunariorum.

XII. Internæ causæ Essentiam conjunctim non disjunctim dantes sequuntur, quarum prima est Materia, de qua varias fovent opiniones Philosophi. Quod autem concernit Materiam terræ constituendæ asserrimus illam nullam fuisse: juxta illud: Materiam noli quærere nulla fuit. Terram v. constitutam sive creatam materiam habere in dubium non vocatur, cum omne corpus naturale materiam habeat; terra est corpus naturale  $\Sigma$ . major patet quia materia  $\Sigma$  forma sunt causæ corporis naturalis. Minor inde probatur, quia terra est substantia, at si est substantia, erit vel spiritus vel corpus, non Spiritus  $\Sigma$ . corpus. Un-

de liquet terram esse substantiam & quidem comple-  
tam. Præterea, quidquid quantum est, id materiam  
babet, terra est quanta E. Propositio liquet, quantitas  
enim materiam insequitur; Assumptio est per se cla-  
ra. Hactenus probatum dedimus Terræ materiam  
dari, quænam a. & qualis illa sit, in subsequenti sollici-  
ti erimus.

XIII. Materiam Terræ quod spectat ostendit sacer-  
codex terram primo quidem & immediate ex ni-  
hilo esse creatam. Gen. I. v. 1. In principio creavit  
Deus cœlum & terram. Rom. 4. v. 14. Deus creavit ea  
quæ non sunt sicut ea quæ sunt. Heb. 11. 3. Fide intelligim⁹  
coagmentata esse secula verbo Dei, quæ sententia m.  
in prisca Iudœorum Ecclesia recepta fuit; uti appareat  
ex 2. Macab. lib. c. 7. v. 28. Ubi mater alloquitur fi-  
lium suum; peto à te fili inquit, ut respiciens in cœlum  
& terram, & videns omnia, quæ in eis sunt, agnoscas  
Deum huc fecisse ex ijs quæ non erant & humanum  
genus ita factum esse. Compositionis v. materiam  
quod attinet, dicimus illam esse simplicem & puram  
materiam cuius essentiam nulla ingreditur forma.

XIV. Altera causa interna est ipsa Forma, quæ  
substantialis & propria recte statuitur, per quam ter-  
ra est id quod est, & à cæteris Elementis alijsq; rebus  
distinguitur, quænam autem & qualis illa sit, non po-  
test ab infirmitate intellectus nostri declarari, cum nul-  
la forma substantialis per se incurrat in sensum, & ni-  
bil

bil sit in intellectu, quod prius non fuerat in sensu: Hinc  
itaq; Formam per propria nonnulla accidentia nobis  
notiora describimus quæ accidentales forma nuncupa-  
ri possunt, quatenus formam nos latentem quodammo-  
do demonstrant & terram ab alijs Elementis secunda-  
rio distinguunt.

XV. Hactenus de causis Terræ tam externis quam  
internis actum est, nunc ejus affectiones delibandæ, suc-  
cedunt.

XVI. 1.ma Affectione est Firmitas. Maximè fir-  
ma est Terra, quia omnium animantium, plantarum,  
arborum, Metallorum, aquarum, aliorumq; corporum  
sedes ac firmamentum est: Nihil stabile in undis, pro-  
cumbunt arbusta, titubant virgulta, cunctaq; minitan-  
tur ruinam. Terra sola fulcrum existit, quò tuto o-  
nera ac moles corporum & animalium justinentur.  
Aves non modo pedes in ramulis vel surculis figentes  
deprehendimus titubare, & haud recte stare talo; Ve-  
rum etiam alia mobilia mobilibus innixa lapsu ruere  
præcipiti. Nec non in lutosa humo aut rupta glacie,  
si quis incedit, labitur, cum nulla ferme in hisce firmi-  
tas detur cui innitantur. Firmitas itaq; Terræ ad-  
scribitur maxima, ut quieti & motui corporum  
idonea sit.

XVII. Altera affectione terræ, est crassities & qui-  
dem summa, liberum enim alijs corporibus transitum  
negat, crassa quidem est aqua cedit tn. piscibus cedit na-

vibus & hominibus. Sola terra cedere nescit, ac fortissima robora sustentat, ipsæ quoq; atomi terre cum alijs aliorum Elementorum atomis collatæ semper crassiores existunt.

XVIII. Tertia occurrit affectio gravitas vñ. summa, cum ad intimum locum delabi contendat, & infra aquas demergatur. Portio terræ immissa aque fundum petit, ut experientia dicitur, per cavernam terræ missa deorsum labitur adusq; tendendo deorsum & ad centrum terræ inclinando. Quod a. in superficie superiore multa gravia quiescant ex impedimento est & sustentaculo, quo remoto quodvis ad imum pergit. Penus etiam seu promptuarium fertilissimum, atomos igneas, aquas sulphureas aliaq; id genus suo coeret sibi. Omnis generis Metallis lapidibus, gemmis, plantis & animalibus onusta est. Luxuriant montes, campi; colles valles & convalles, innumerag; subinde parturiunt mira naturæ miracula.

XIX. Quarta est Frigiditas, de quâ inter Philosophos haud levis est controversia, quidam enim contendunt Terræ summam competere frigiditatem, aquæ v. remissorem: Illi hoc præsertim trimembri utuntur Syllogismo: Quod est 1. gravissimum. 2. à fonte caloris remotissimum 3. & ad ignem extingendum aptissimum, illud est frigidissimum. At terra talis est. E. Verum quod spectat hunc Syllogismum tribus medijs terminis constantem, putamus illum non esse magni ponderis & momenti, & quidem imprimis ad primum mem-

membrum respondemus, quod sibi constare non potest.  
Gravia quamvis corpora nonnulla sint, non protinus  
frigida, sicut nec levia calida. Levem deprehendi-  
mus nivem, nec tñ. propterea calidam; Gravem sci-  
mus hominem esse nec tñ. frigidum. Papyrus cum  
comburitur levissima remanet materia, quæ, tñ. cali-  
dissima non est. Pulvis est levis & tñ. non calidus.  
Deinde ad alterum membrum syllogismi respon-  
detur negando: Quod à sole est remotissimum illud  
nō statim est frigidissimum: Sol n. calefacit non forma-  
liter sed effectivè non in Sole sed à sole calor est. Ve-  
luti non in vino sed à vino ebrietas. Per Instantiam,  
m. responderi potest; Media aëris regio soli propin-  
quior est quam infima & tñ. non est calidior. Ter-  
tium deniq; membrum à nobis ita resolvi potest,  
dicendo non omne illud quod ignem extinguit frigidum  
esse. Ventus n. quantumvis calidus & siccus flam-  
mam extingvit. Fumus calidus & siccus candelam.  
Flamma major, flammarum minorem; Proinde hoc  
membrum non procedit. Aqua n. longè aptior est ad  
extinguendum ignem, quam terra. Quod a. ignis  
terra extingvatur id magis suffocationi quam ejus fri-  
giditati adscribendum est quæ ratio vulgari experi-  
mento roboratur, ligna n. arctius lignis accensis appo-  
sita in fornace ignem extingunt. Proinde sensum  
dimittere in ijs, quæ sensibus manifesta sunt, &

tationem quærere infirmitas intellectus est. Sed cum sensus testentur aquam magis frigefacere quam terram, unde pro primo & adequato frigoris subiecto aquam agnoscimus. Quomodo quæsumus? Si terra frigidissima esset, ad usum, habitationem animantium in ea degentium apta & accommoda foret, cum vita animalium consistat in calore, cui excessus frigiditatis maximè contrariatur. Quomodo in terra conservarentur tempore brumali rapæ, olera & id genus alia si frigidissima esset.

XX. Quinta affectio Terræ, est siccitas. Existimant nonnulli Philosophi Terram esse Elementum Siccissimum quia suis ajunt terminis continetur facilimè, alienis v. difficilimè; Nos v. statuimus eorum probationem haud magni ponderis esse, comprehendimus n. ignem, qui siccus est imò siccissimus, termino proprio difficilimè terminari. unde male è ratione termini siccitas definitur. Termini nunquam propter qualitates, sed propter quātitatem corporibus tribuuntur. Si corpora propter humiditatem termino proprio difficulter terminantur, alieno verò facile, cur ignis, qui humidus non est, difficilimè termino proprio terminatur, alieno facile? Nos quidem non negamus Terram esse siccari, verum non sicciissimam, quæ qualitas igni competit, ignis n. maximè exsiccat. Unde tale nec titur argumentum.

Quid.

Quidquid maximè exsiccat illud est siccissimum, at  
ignis maximè exsiccat E. est Elementum siccissimum.  
Major probatur. Omnis n. operatio arguit for-  
mam. Minor constat experientiâ.

XXI. Sexta affectio est Figura, quam sphæricam  
terræ adsignam<sup>o</sup>, suffulti sequentib<sup>o</sup> rationib<sup>o</sup>. I.  
Si ab arctico sive meridie progrediamur versus se-  
ptentrionem manifestò alium Horizontem conspici-  
mus, & stellæ, quæ propè meridiem lucebant, inci-  
piunt occultari. Contra, ad septentrionalem plagam  
incipiunt novæ stellæ apparere, quæ antea latitabant.  
Hoc a fieri non posset, nisi Terra esset rotunda: illud  
etiam indicium est firmum, quod stellæ citius oriuntur  
& occidunt orientalibus, quam occidentalibus, illisq;  
prius quam his di. si illic sit & nox ingruit.  
Deinde apparet in Eclipsi lunari, quæ fit ab umbra ipsi<sup>o</sup>  
Terræ; qualis namq; est umbra, tale etiam est corpus; ut si um-  
bra sit rotunda, etiam corpus est rotundum; & si est quadrata,  
etiam corpus est quadratum. At umbra Terra qua impedit &  
aufert luna lumen in Eclipse, est spherica. E. & ipsa Terra est  
spherica. Præterea rotunditatem terræ approbant fermè o-  
mnes Philosophi, ut indigavimus in Thesi 4. Quartum de-  
nig. argumentum firmissimum Sacer codex nobis suppeditat  
Esai. 40, 22. Sedens inquit super globo terræ id est.  
Sphæra, gyro vel circulo.

XXII. Neque rotunditatiterre officiunt altis-  
simi montes, valles & speluncarum concavitates, quia  
terram hic non secundum partes singulas, sed secun-  
dum

dum se totam tractamus. Et sic respectu globi terre-  
ni sunt instar rimulae & minima arenulae ad magnum  
globum artificiale collatae. Hinc liquet Terram  
sphæricam esse 1. Non secundum Geometras,  
qui omnimodam & planè perfectam rotunditatem ob-  
servant, ex eo quod omnes linea ductæ à centro ad peri-  
pheriam sint æquales. In Terra a. ejusmodi rotundi-  
tas inveniri nequit, ob montes altius exsurgentes quam  
valles, unde linearum nascitur inæqualitas. 2. Sed se-  
cundum Astronomos rotunditatem latè & minus  
exactè perpendentes. Sic dicimus aliquem for-  
mosa esse facie quamvis habeat verrucam: imò rotun-  
ditatem non vitiant, Musca rotundo corpori insidens,  
clavus rotæ infixus, sutura eminens in pila; idem esto  
judicium de montibus, qui respectu terra sunt instar  
puncti.

**XXII.** Nec sicco pede transire possumus, quod  
quidam Philosophorum existiment valles & montes in  
tempore diluvij primum esse genitos, eò quod tum terra  
sit rupta & subducta ab aquis in mare præcipitantibus,  
atqui sic ante diluvium terram fuisse perfèctè rotun-  
dam arbitrantur; nostro v. seculo non sic. Quo-  
rum sententiam improbamus, cum apertissima habe-  
mus S. Scripturæ dicta, testimonium peribentia mon-  
tes ab exordio mundi creatos esse. Ut Gen. 7, 20. Gen.  
8, v. 4. 5. & Ps. 90, 2. Quis enim credat homines bestiasq;  
ante diluvium montibus plane caruisse, cum non solum faciant ad

ernatum totius universi, verum etiam multiplices maximeq; ne-  
cessarias utilitates habeant; conferunt enim ad cōbibendum im-  
petum ventorum, ad arcendos maris & fluviorum influxus, nec  
non ad rerum, quae in terra nascuntur copiam, &c. Observan-  
dum tamen est, nos non inficias ire cāpisse novos quo-  
dam montes tempore diluvij, & adhuc existere posse per  
maximam aquarum inundationem; Sed hinc non se-  
quitur, quod nulli montes ante diluvium extiterint.

XXIV. Septima affectio est. Situs & positio  
terræ. Terram dicimus in medio universi sitam es-  
se, & instar centri à coelo undiq; equaliter distare, atq;  
potentia Divinâ sustentari; ut videre est Job. 26, 7.  
*Qui extendit aquilonem super inane, suspendit terram  
super nihilum... Quem locum hunc in modum explicat  
Osiander; Terra in medio concavitatis cœli q; pendet,*  
*& tn. nulli rei affixa est, ex, qui pendeat, nisi ex im-  
mensa Dei potentia. Unde illud Poëta*

Terra pilæ similis nullo fulcimine nixa...  
Aëre subiecto tam grave pendet onus,

Quæ assertio hisce robatur rationibus. Nam  
omne corpus grave ad centrum tendit; Terra est  
corpus gravissimum, quod in Thesi 18. probatum est  
& id ipsum hoc modo etiam potest ostendi. Si terrea  
pondera dimittantur non secundum lineas parallelas  
descendunt, sed quo longius abeunt, eò magis sibi mutuo  
appropinquant, adeo ut si nullum interpositum esset im-  
pedimentum in centro concurserent ibiq; quiescerent.  
Hujus mutua inclinationis, nulla alia causa datur quam  
quod

quod singula pondera sua naturâ nitantur centrum occupare, quod non fieret, si in parallelismo nō deficerent. Deinde si Terra non sit in medio universi erit extra medium, vel in axe vel extra axem quocunq; situ posito, semper sequerentur aequinoctia non apparitura eodem tempore omnibus hominibus terram incolentibus, & umbras, que in aequinoctijs projiciensur, sole oriente & occidente in unam rectam lineam nō desituras. Notum deniq; est Sex signa Zodiaci, semper supra terram esse, & totidem infra delitescere; cœlumq; in duo hæmisphæria æqualia secari, & tempus antemedianum pomeridiano æquari. Plures qui hujus rei desiderat rationes consulat velimus Mathematicos.

**XXV.** Octava prodit affectio Quiescere. Terra in medio mundi immota perpetuo quiescit. Causa vero immobilitatis terra nativa ejus est gravitas, quæ cum sit maxima efficit ut terra locum maximè à cœlo remotum & dis̄situm h.e. medium mundi expetat, ibique quiescat, nec nisi per violentiam inde detrudatur. Hanc assertionem non modo veritas sacrarum literarum confirmat. Ut Eccl. cap. 1,4. Terra in seculum permaneat. Psal. 104, 10. Fundavit Terram supra bases suas ne dimoveretur in seculum & perpetuum. Sic Jos. 10,13. Solis statio pro summo habetur miraculo. Sed m. testimonium sensuum, omnium n. patet sensibus Terram stare & solem lunamq; cum reliquis stellis moveri. Si a. moveretur terra circulariter, in altum projecta non redirent perpendiculariter ad locum pristinum. Hinc sensum

dimittere in ijs, que sensibus manifestè obvia sunt & rationem consilere, imbecillitas intellectus est.

XXVI. Noyà tandem emergit affectio Magnitudo. Quantitas totius globi terreni considerari potest vel Relatè vel Absolutè.

XXVII. 1. Relatè in respectu ad cœlum, est terra instar puncti Physici. Quoniam unaquæque stella etiam minima, quæ visu notari potest totam terram multoties magnitudine superat, ut Astrologi suis probant instrumentis, & tñ. ut punctum in firmamento micat, unde Terra respectu Cœli multò minor erit.

XXVIII. 2. Absolutè & per se globus terrestris consideratus ( ita tñ. ut aquam includat ) magnam satis & insignem habet molis quantitatem. Cum v. in Thes. 21. & 24. Certis argumentis probatum sit terram esse sphæricam & centrum tenere universi, facile erit ipsius ambitum invenire. Ut si quis sub meridiana rectâ progrediatur in septentrionem & observet arcum cœlestem terrestri distantia duobus locis intercepta, respondentem ex altitudinis poli aut stellæ inerratis differentiâ; Quæ est ratio arcus colestis ad suum circulum majorem; ea est distantia duarum stationum ad telluris ambitum. At jam docent moderni Mathematici suis observationibus miliaribus 25. Germanicis aut stadijs 500. partem unam maximæ circuli correspondere; qualium totus est juxta corum

C

bypo-

bypothesin 360. gr. & ambitum Terræ esse milia-  
rium Germanorum 5400. stadiorum a. 180000.  
cujus ambitus hoc modo potest inveniri. Ut i. gr.  
ad 15. miliaria, sic totus circul⁹ 360. ad ambitum  
terræ 5400.

**XXIX.** *Invento sic ejus ambitu non difficile erit  
telluris diametrum inquirere; cum Mathematicis in  
propatulo sit, omnis circuli peripheriam ad suam dia-  
metrum habere propè rationem triplam sesquisepti-  
mam; unde sic procedendum erit: Circumferentia  
22. dat diametrum 7. quam diametrum dabit pe-  
riphera 5400. Operatione juxta regulam pro-  
portionis rectè peracta prodit telluris dimetiens  
miliarium Germ. 1718 $\frac{2}{11}$ . stadiorum a. 57272 $\frac{8}{11}$ .*

**XXX.** *Sic Definitione Terra delibata, nltimò restare vi-  
detur, ut de ejus divisione agamus, verum cum varios variorum  
authorum libellos inspicimus, experimur quosdam eorum terram  
in plagam orientalem, meridionalem, occidentalem & septen-  
trionalem. Alios in Europam, Africam, Americam...  
Multasq; totum hunc orbem in orbes partiales, regiones, regna,  
territoria, provincias, agros, civitates, urbes, oppida, castella, ar-  
ces, emporia, vicos, pagos, villas & tuguria, distinguere. Nos  
a. suas divisiones Cosmographis, suas Geographis, suas Politicis,  
suas ceteris linquimus, & Terram prout à natura ipsa dividitur,  
dividimus. 1. Continens terra est solida sive firma, que  
tota sibi constat & coheret. 2. Insula est terra pars, que  
undiq; aquis alluditur, ut Gothlandia, Ossilia, &c. 3. Peninsu-  
la est terra undiq; ferè aquis clausa, & non nisi angusto tractu con-  
tinen-*

tinenti annexa. 4. Isthmus est terra oblonga & angusta inter duo maria vel lacus existens. 5. Promontorium est mons in mari prominens, ejusq; altitudinem longe superat, dicitur alias caput. V.g. caput bonaæ spei. 6. Mons est terra eminens & in altum intumescens. 7. Collis est q: montulus aliquis leviter assurgens & prominens. 8. Vallis est terra plana inter duos montes conclusa. 9. Convallis est terra undiq; collibus ac montibus interjecta & comprehensa. 10. Campus est terra plana a montibus & collibus libera. 11. Sylva est terra arboribus condecorata. 12. Littus securi: pa est terra, qua ab aquis tangitur. 13. Ora est terra mari finitima. 14. Portus est terra in mari sita, e quâ merce ex-portantur, & in quam reportantur.

Materiæ huic nobilissimæ ventilatione dignissimæ, brevitati studentes finem imponimus. Tibi o Deus sempiterne coeli terræq; conditor ac conservator humilitatis agimus gratias, quod nos non modo creasti, sed & paterna tua gratia in hisce terris sustentasti ac conservasti. Defende o Deus benignissime Patriam nostram dulcissimam numine tuo sancto adversus omnium nostrorum inimicorum insultus, insidias ac impetus; fac ut nos in periculisssimo ac turbulentissimo huius vite pelago navigium vitæ nostræ ita dirigamus, ut tandem te duce in portum ecclæstem, terram vñ novam, ac terram viventium lati ac triumphantes veniamus, ibiq; cum omnibus sanctis te collaudemus.

---

## COROLLARIA.

Præter bujus Disputationis Materiam scitu jucundam ac necessariam, mantiæ loco sequentes addimus questiones.

1. An cognoscat Deus res creatas omnes, quæ sunt in mundo? Affir.
2. An Angeli cognoscant futura, ut & cogitationes humanas? Affir. Dist.

- Rv Diſſ. tripl.
3. An Anima rationalis sit immortalis? Affir.
  4. An Ethica ex scriptis dextre Philosophantum tradita, sit in Scholis Christianorum toleranda? Affir.
  5. An Mundus secundum substantiam, an vero tantum secundum qualitates destruendus sit? Affir. prius. Neg. post.
  6. An omnis operatio sit a Forma? Aff. Dicit.
- 

Ornatissimo atq; Politissimo,

Dn. JOHANNI L. KLINGIO.

De TERRA Physicè & doctè disputanti  
paucis hisce amicè gratulabar.

Terra dedit nobis ortum: Dat vivere terra.

Unde queant homines, brutaq; plantæ itidem  
Terram calcamus: Terræq; recondimur olim;

Transacto cursu terra cubile manet.

Ergo juvat meritò, Klingi suavissime terram.

Pendere: quo ad cœlum dulce paretur iter!

Terram cum tractes, animus non terrea captat;

Quæ solum terræ filius omnis amat.

FORMAS vidisti quo homo tenet imperiorum;

Ortum nunc pastumq; hospitium, requiem.

Ingenij pergas tales formare colosso;

Terra licet corpus, non tamen bosce premet.

L. mq;

MICHAEL O. WEXIONIUS,

P. P.